

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dies Festos Pentecostes Religiose Agendos Fridericianae Prorektor Ioannes Andreas De Segner Reg. Maiest. Borvss. A Consiliis Intimis Mathemat. Et ...

Segner, Johann Andreas

Halae, MDCCLXV.

VD18 13089579

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-194519](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-194519)





125 D 2

Ha 33

10
[9]
DIES FESTOS PENTECOSTES

RELIGIOSE AGENDOS

FRIDERICIANAE PRORECTOR

IOANNES ANDREAS

DE SEGNER

REG. MAIEST. BORVSS. A CONSILIIIS INTIMIS

MATHEMAT. ET PHILOSOPH. NAT. PROFESSOR

PRIMARIUS, CETERA

VNA CVM DIRECTORE

AC

RELIQVO SENATV ACADEMICO

INDICIT CIVIBVS

PROPOSITA BREVI COMMENTATIONE

DE

FIDE IN IESVM CHRISTVM

PALMARIO OPERE GRATIAE APPLICATRICIS

SPIRITVS SANCTI.

H A L A E

TYPIS ORPHANOTROPHEI

CIDICCLXV.

177
DIES PRIMO PENTECOSTES

RELIGIOSA AGENDOS

THEOLOGICAE PROF. POTER

IOANNES ANDREAS

DE SEGNER

REG. MAIEST. FORVSS. A CONSILII INTIMIS

MATHEMAT. ET PHILOSOPH. NAT. PROFESSOR

PRIMAIVS, CETERA

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS

CHRISTIANUS AUGUSTUS



Cum Paschae solennibus nuper praefaremur, Ciues aestumatis-
simi, meditationi Vestrae commendauimus, quae in fine eius
quae ad Ebraeos data est epistolae de *magno illo ouium pasto-*
re Iesu Christo, a Deo pacis per aeterni foederis sanguinem
e mortuis educto, perscripta leguntur c. XIII, 20. Excipit
haec ipsa votum apostoli, quo apprecatur ille credentibus
expetitque, quae ad fructum suscitationis dominicae percipiendum fruendumque
ab eodem tanti tam salutaris operis auctore, Deo, cum expectari fidenter pos-
sunt, tum ab ipso vnice praestari atque in homines proficisci. Ita enim scri-
ptor diuinus: Καταρτίσαι ὑμᾶς (ὁ Θεὸς τῆς ἐλπίδος ὁ κ. λ. v. 20.) ἐν παντὶ ἔρ-
γῳ ἀγαθῷ εἰς τὸ ποῖσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ, ποῶν ἐν ὑμῖν τὸ εὐάρεστον ἐνώπιον
αὐτοῦ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Non est propositum nobis hoc tempore, enarrationem iustam horum
verborum, interpretationemque adcuratiorem suscipere, quorum sententia vi-
detur ipsa per se lucere satis et intelligi; placuit tamen ista hic excitare et legen-
tium oculis subiicere verba, quod non modo orationem illam votiuam, cuius prio-
rem partem nupero libello tractabamus, haec absoluunt atque perficiunt, sed ar-
gumentum etiam offerunt, de quo non alienum est visum nobis, Pentecostalia sa-
cra dedicaturis, pauca vobiscum agere.

Summa nempe et quasi neruus eorum huc redit, vt ad illud, quod in Chri-
sto vitae restituendo atque adeo *extra nos* peractum et *pro nobis* factum erat,
quodque ad *fundamentum salutis* sperandae participandaeque pertinet, adiun-
gatur etiam hoc, quod Deus *intra nos* h. e. in animis nostris promissit efficere, id

quod ad *ordinem*, quo reparam per Christum salutem obtinere possumus, referendum. Nec enim fas est ista duo ita diuellere, quod subinde fit, ut dum prius illud ex Euangelio arripitur et quasi audaci manu excerpitur, alterum supina negligentia fastidiose, saepe et inani falsoque metu, praetermittatur penitus. Atqui in hoc ipso, nempe in beneficiis, quae Symboli formulâ ad Articulum III. referuntur, non minus quam in caeteris sapientiae ac bonitatis suae thesauros Deus immortalis aperit, summamque potentiae diuinae excellentiam demonstrat, quoties animos mortalium ad percipienda rite et peragenda spiritualia ac diuina ineptos sua luce perfundit et collustrat, nouaque vita sancti Spiritus animat. Haec licet nec insciis contingant nec obtrudantur nolentibus, sunt tamen ita comparata, ut quae in primo illo genere elucet *ἐνέργεια* diuina, ut in Christi ortu, miraculis, fuscitatione, (quae res praescitum consensumque hominum non desiderabant), eadem in hoc etiam appareat. Etenim vel ex verbis sacris supra descriptis perspicue cernitur, *Deo faciente* (h. e. intra animum operante per Spiritum suum) *nos* (demum) *facere* (a) (quae recta sunt ipsique probata).

Recordamur autem haud immerito in praesenti, cum aduentum Spiritus S. ad ecclesiam oeconomicum solennibus anniuersariis celebraturi sumus, ipsum hunc diuinum Spiritum esse, cui sacrae litterae salutes illas quas diximus operationes effectusque per *ἰδιωματισμὸν* quandam plerumque tribuant; ad quod genus quae pertinent, *Sanctificationis* nomine, latius accepto, comprehenduntur solent, vel *applicatricis* titulo *gratiae*, quam eandem *medicinalem* etiam a *forensi* distinctam appellare quidam adsolent.

Itaque non alienum erit, vel a temporis officii et huiusce instituti rationibus seiunctum, de argumento isto quaedam in usum maxime academicae iuuentutis commemorare ac persequi. Quid est enim, quod his, qui sapientiae diuinae humanaeque studium profitentur, magis incumbat, quam ut de his rebus, quibus summa salus omnium continetur, recte sentiant, suumque his pretium ita statuunt, ut ad ea pro se quisque summa ope enitatur.

Neque illud ab instituto et proposito nos reuocat, quod non dubitamus, fore, quibus haec vulgaria et contrita videantur, quippe quae vel in elementis disciplinae christianae tradi, apud nos saltem, soleant. Sunt enim in his haud pauca omnino, quae si rem accuratius paullo inspicias exploresque, non sunt adeo nota, (hoc est, rite intellecta) quam videntur esse, et vero poterant

ac

(a) Vti eleganter ad h. l. in *Gnomone N. Test.* adscribit B. BENGELIUS. Quae sententia tum clarissime ex apostoli verbis existit, si in participio quod in fonte est (*ποιῶν*) quodque Lutherus copulatiua ora-

tione resoluit (*und schaffe in euch*) modi declarationem inesse statuas, quo videlicet id quod praecedit *καταγείρας ὑμῶν κ. λ.* fiat ac futurum sit.

ac debebant propter dignitatem suam et institutionem frequentiore esse vel toti populo christiano; sunt item, quae inde ab aliquo tempore, paene filieri videntur, saltem negligentius passim voce pariter ac scriptis tractari, quam vel res ipsa hortari poterat vel humani indoles ingenii; sunt etiam, quae verbo tenus satis frequentantur, caeterum non vno modo si verum quaeras, obscurari videntur, deteri, perueri. (b) Quae qui considerauerit, non reprehendet, si quibus ciuitatis diuinæ salus curae est cordique, necessitati obsequantur, potiusque quid haec suadeat videant adferantque, quam quae nouitatis gratia plures capere queant aut elegantioris cuiusdam doctrinae nomine commendabilia videri. Valeat nimirum etiam hoc in genere suo modo, quod ex profanae monumentis Graeciae notum est, prudentis cuiusdam hominis et publicorum praeter caetera commodorum studiosi admonitum, μή τὰ κομψὰ (καὶνὰ) λέγειν αἱ δὲ ὧν δὲ πόλις.

A 3

Sed

(b) Tales in hac ipsa causa querelas, quamquam minus gratae esse soleant, necessarias duxit effuditque candide B. D. WEISMANNVS *Institut. Theol. Exegetico-dogmaz.* Loc. XI. de gratia Spiritus S. applicatrice p. 694. „Verissimum est, vtut de nulla parte doctrinae christianae in coetibus publicis copiosius atque frequentius doceri soleat, quam de ea quae Spiritum S. concernit, huius tamen neruum, vim, et efficaciam mirifice excidisse Christianis nostri temporis, vt fere nil nisi voces et nomina supersint apud quamplurimos. Multis Spiritus S. est quodcunque volunt, et si vel millies bis vocabulis vrantur, res ipsa quam per ea designant, longe diuersa est ab eo, quod Scriptura Spiritum S. vocat. Regnant extrema et avaritia in hac causa. Dum bi fugiunt hos vel illos abortus, incidunt in contrarium malum et vicissim cet. „ Hactenus WEISMANNVS. Idem alio eiusdem libri loco (p. 769) postquam gemina iis, quae retulimus, questus esset, haec subnectit: „Ad hanc normam et lapidem Lydium probabunt, si meum sequi velint consilium, sapientes Theologiae studiosi quacuis sapientiae et religionis systemata, quasuis do-

„ctrinas et doctrinarum formas, omnes denique fructus earum et symptomata cuiuscunque sint generis. Sola ea digna sunt amore ac desiderio, quae disciplinam S. Spiritus prout in sacris litteris docetur et commendatur, solide et pure cognoscendam praebent, urgent, adiuuant promouentque. „Odio contra digna et fuga, quae illi detrahunt, nocent, insidiantur etiam. Quidquid hic peccatur crimen est, quod nunquam in hac causa exiguum esse, quin potius facile scandalum inde oritur inuenturi, cuius maxima pars talibus a seria et interna schola Spiritus S. emancipationibus delectatur cet. „ Conf. etiam B. Viri EIVSDEM *Histor. Eccles. P. II. p. 724.* edit. II. vbi in recensendis controuersis Paionianis hoc interserit iudicium. „Certe studium praetextusque vitandi Enthusiasmum s. Fanaticismum (sub quo nomine multi, quidquid diuinum supernaturale, internum est, ferali et intolerabili paralogismo comprehendere solent,) innumera ingenia praecipitavit atque adhuc dum praecipitat in frigidus et petulantes excessus rationis superbae et coecae cet. „

Sed cum amplissimus sit lateque pateat is, qui de salutaribus sancti Spiritus operationibus est, locus, idemque a multis egregie patefactus atque illustratus; (c) satis erit, ex rerum quae ad ipsum referri solent vniuersitate vnicum illud caput, quod est *de Fide in Iesum Christum*, quantum angustiae in quas concludimur ferunt, attingere. Est enim haec, qua iusti saluique reddimur, fides palmarum in omni salutis ordine momentum, praecipuumque et summum gratiae Spiritus S. applicatricis opus; praeterea satis constat, isthanc de fidei natura ac vi doctrinam vel primariam fuisse in iis, quas B. LUTHERVS cum sociis notori suo nativo lucique adiuuante Deo restituit, misere antea tor retro saeculis obtritas inquinatasque. Itaque pii maiores nostri ac confesores, quibus *γνησιότης* huius ipsius doctrinae haud exiguo studio ac sudore multisque periculis constiterat, haud pauca grauitur et perspicue in eandem rem scripta reliquerunt, diuinarum litterarum auctoritatibus et sententiis haudquaquam dissona cedereque digna. Nos quidem, quos stricturis in praesenti quibusdam oportebit esse contentos, tria potissimum ex ambitu publicae Euangelicorum de fide professionis delibabimus, quae inter reliqua identidem pro statu temporum praecienda religio-seque custodienda videntur.

Ac *primum* quidem nonnulla videntur de origine causaeque eius, de qua loquimur, fidei adferenda: *deinde* de obiecto eiusdem, ut in scholis vocamus, proprio dicendum, quo ipso constituto et natura fidei tanto facilius intelligitur, et ab eius notione aliena segregantur, quae in eam temere inferre quidam solent. *Tertio* denique *loco* de vi et efficacia fidei verae nonnulla repetenda erunt paucisque declaranda.

Ex his tribus, quod primo loco ponebamus de *ortu* et tamquam *genesi fidei*, rem vnā alteramque continet, de qua sigillatim est pro instituto disserendum. Nam *primo* haud sane nihil attinet, probe meminisse et ad animum reuocare, quemadmodum adfectus esse debeat is, in quo ea quam quaerimus fides gigni queat

(c) Inter eos, qui recentissime hoc argumentum tractarunt, commemorandus h. l. videtur Theologus Tubingensis de ecclesia meritisque illiusque Academiae Cancellarius D. Ierem. Frider. REVSIVS in Disseratione singulari de *Gratia Spiritus S. applicatrice*. Alios ex nostratibus, qui sigillatim etiam id argumentum vel superior tempore vel nostra memoria persequuti sunt, magno numero reperire licet apud f. Ven. I. G. WALCHIVM in *Biblioth. Theol. Selecta* T. I. c. II. n. XVIII. sqq. ubi,

quod ad Fidem in I. C. speciatim attinet, non dubitat Vir grauissimus, inter eos scriptores, qui de hoc argumento tractarunt, principem locum assignare B. D. Benedicto Gottlob CLAVSWITZ, qui plures hac ipsa in Academia nostra, quam eximie ornavit, dissertationes de Fide conscripsit habuitque, quibus coniunctim praefixa est inscriptio: *Syntagma doctrinae de fide in Iesum Christum, disputationibus dogmaticis XIII. publice expositae*. Hal. 1748.

queat et accendi; quippe cum is animi status non minimum inter alias notas valeat eosque characteres, quibus vera *fides quae non est in omnibus* (2 Theff. III, 2) qui se habere ipsam credunt, ab opinata et ficta discernitur. Praecedat igitur viua peccatorum agnitio et quam haec infert displicentia et detestatio ferria, seu dolor verus odiumque peccati omnis; de qua re multae exstant grauesque et clarae sententiae in utroque sacri codicis instrumento, exemplis ibidem relatis idem loquentibus. Vid. e. gr. Ier. III, 13. Dan. IX, 7 sqq. Pf. XXXII. LI. Luc. XVIII, 13. 14. Marc. I, 15 cet. Hos veros terrores conscientiae, motusque voluntatis fugientis iudicium Dei, cuius irae quod opponat nihil vel in se vel in alia re creata reperit, viuis L. L. Symbolici nostri passim depingunt coloribus, v. c. *Apol. Aug. Conf.* Art. II. (p. 71. sq. ed. Rechenb.) vbi ne quis putet, Confesores euangelicae veritatis fidem tantopere urgentes, de otiosa historiae de Christo noticia ac fide loqui, ex instituto ostenditur, *quomodo contingat fides?* Haec autem inter alia de ista magni momenti quaestione: *Praedicatio poenitentiae quae arguit nos* (nempe id, quod praecedit, *nos esse sub peccato, reos aeternae irae* etc.) *perterrefacit conscientias veris et seriis terroribus.* IN HIS corda rursus debent concipere consolationem; id fit, si credant promissioni cet. Atque ad hunc modum in eadem *Apol.* art. III. (p. 108 ed. cit.) fides vera tamquam nota impressa insignitur, et ab ista, quam vel daemonibus Iacobus apostolus tribuit, discernitur; in eo nempe character constituitur, quod vera ac viua fides *resistat terroribus conscientiae eaque sit, quae erigat perterrefacta corda.* His quae passim exstant oppido similia non colligimus, praefertim cum res ipsa loquatur, suffragante insuper experientia.

Spiritus nimirum sancti disciplina dedocendi antea sunt mortales, sibi, suis opibus, viribus, iustitiae, fidere; detrahenda illa opinio, qua se satis valere putant, nec medico egere: tum demum serio redemptorem, deprecatores et medicum anquirent, totosque sese ad illum, cum in Euangelio offertur, applicabunt; quod est ipsum illud, quod in fide maxime spectatur.

Sed in hac re multiplex cautio est, ne vel suum sibi quis imponere patiatur errorem, vel alieno implicetur, abreptusque persuasione, vel auctoritate et exemplo aliorum in capitalem noxam incidat, vel in salebras saltem et confragosa itinera. Nam si quis, ut hoc utamur, audiat, cognitionem peccati in his requiri, qui ad fidem eniti cupiunt, quippe cum Scriptura S. vnico hoc vocabulo, (sed pro emphasi sua alibi declarata intellecto,) totum quod descripsimus negotium comprehendat, (ut Ier. III, 13.); et vero idem sanam ex veris fontibus doctrinam de omni ratione peccati probe se imbibisse credat, nec tamen *sua ipsius peccata in conspectu*, ut Psalter ait (Pf. LI, 5.) *habeat*, vel horum etiam qualicunque et sensu debito destituta recordatione rem absolui autumat: nae is

toto,

toto, quod aiunt, caelo erraret, si pectus bene iam ad fidem concipiendam praeparatum sibi esse existimaret. Nec ipsa, quam quis de admisitis a se, praefertim grauioribus peccatis sentit, aegritudo animi, et quamuis acer de iisdem conceptus dolor, veram semper *μετάνοιαν* et *τὴν κατὰ Θεὸν λύπην* continuo probat, in qua ad dolendi causas potissimum respiciendum est; cum certum sit, multos nil nisi detrimentum ex male factis, dedecus, aliasque vitae molestias excruciare, nullo ipsius criminis horrore percussos et de prouocati ad vindictam Numinis ira oppido securos.

Ac generatim cauenda sunt in hac causa duo, ad quorum alterutrum tamquam ad scopulum facile adhaerescit ingenium humanum inter, extrema fere fluctuans. Alterum, ne quis sibi sumat, de gradu quodam ac modo quem haec diuina tristitia consequi debeat, de durationis tempore et similibus certi quidquam statuere, in quibus mirifica in indubiis verae *μετανοίας* exemplis locum habet varietas; sit enim, si haec talia temere inculcentur, saepe numero, ut praeter rem sincerus dolor innumeris scrupulis exasperetur vere de peccato contritatorum. Alterum ne nimis leuiter de tam serio arduoque negotio dispute- tur, non secus ac si ea, quam Spiritus sanctus dicit, *κατάνυξις τῆς καρδίας* (Act. II, 37) leue quiddam esset, et quouis tempore a nobis facile praestari et effici in nobis posset, dummodo quis mediocrem adferre velit curam animique intentionem, ac parumper conscientiam excutere. Accidit enim facile, ut minuendo rem, eaque quae tam grauib. passim verbis, intimi doloris testibus, (non augendi causa rhetorum et poetarum more conquisitis) proponuntur in Scriptura sacra, haec igitur eleuando euenit, ut securitas corroboraretur hominum, qui per se, pro dolor! nimis immemores esse solent iustitiae, sanctitatis et *ἀποτομίας* Dei.

Sed accedat necesse est ad primam hanc quaestionem, quae de statu hominis ad fidem sub disciplina Spiritus S. praeparati suscepta est, *altera*, non minus necessaria; (d) vnde videlicet, seu ex quo principio, fides exoritur ac progigni possit debeatque in ipso illo animi statu, qui per se ad eam procreandam non magis comparatus est, quam ad lucem generandam tenebrae, mors ad vitam.

Do-

(d) Posteriori nempe hac quaestione (praeter illam priorem de statu legitimo subiecti) opus est, ne donum vel thesaurus gratiae purae putae confundatur cum vasculo in quod thesaurus reponitur. Ita B. D. P. ANTONIUS in solidissima Dissertatione, quam primo Fridericianae nostrae vix dum natae tempore habuit Hal.

CI^o IO^o CXCVI. de insigni Harmonia Fidei quae et quatenus iustificat (§. VI.) quae saepius recusa, atque etiam Syntagmati Dissertationum B. ANTONII, quod I. A. MAIERVS edidit, inserta (p. 59 sqq.) est; et in tota hac causa quam tractandam suscepimus, quae conferatur, dignissima.

Docemur ergo, omnia hic ad promissionem diuinam redire de venia peccatorum omnibusque beneficiis, gratis propter Christum dandis. Haec illa gratiae concio adnunciat, seu Euangelium proprie ita dictum, pandens ea, quae nec in sensus incurrunt nec rationis acumine reperiri possunt, siue vt Apostoli verbis vtamur *αὐτοὶ οὐκ ἔβλεπον καὶ οὐκ ἤκουσαν, καὶ ἐπὶ καρδίαν αὐτῶν οὐκ ἦν ἀνέβη.* 1 Cor. II, 9. Ipsa haec reuelata diuinitus doctrina, vitale illud, vnde fides nascitur, semen est, animatum Spiritus S. virtute, qui huius nouae lucis ac vitae effector est. Vid. 1 Petr. I. 23-25. coll. c. II, 3.

Ex hoc diuino principio ad spem viuam immortalis beatitudinis renascimur (1 Petr. I. 3. 4.) vere quidem, sed eo modo, quem nec ii, in quibus haec e verbo veritatis ἀποκύψις (Iac. I, 18.) contingit satis intelligant aut explicent, id quod nec opus est, Io. III, 8. Itaque cum ἐξ ἀκοῆς, h. e. ex praedicatione Euangelii, fides esse dicitur seu oriri, (Rom. X, 17.) intelligi debet, non modo notitiam Christi, qui vnicam se ad Patrem viam esse testatur (Io. XIV, 6.), ex Euangelio ad nos peruenire; sed vires etiam, vt ea, quae offeruntur, quaeque ad illa μὴ βλέπομεν πρᾶγματα (Ebr. XI, 1.) vel in primis referenda sunt, fide cernamus, acceptemus et teneamus. Hoc nimirum est, quod δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν Euangelium ab Apostolo dicitur Rom. I, 16, quo innuit, non ostendi solum a Deo salutem, sed ipsum, dum fidem per illud praeconium efficiat, virtute sua diuina, monstratam etiam promissamque praestare credenti cuius salutem. Quae res ex diuersa quoque legis ratione cuius ἀδύνατον Rom. VIII, 3. commemoratur, illustrari pluribus facile posset.

Maneat ergo in hac causa, omnes quotquot veram fidem concipiant, etiam nunc (vt de Ephesiis magnifica et graui oratione Apostolus) credere κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς χάριτος τῆς ἰχρύος τῆς Θεᾶς, Eph. I, 19. Habet enim omnium temporum fides communem eandemque naturam, et ἰστορίαν (2 Petr. I, 1.) Nemo hac in causa sibi, hoc est naturae suae sibi relictae, quidquam tribuat, quasi suo ingenio, studio, conatu, hanc a qua omnis salus pender fidem in se procreare queat. Est enim χάρισμα diuinum: Phil. I, 29. sic *trahente Patre ad Filium, Christum, venit*, id vero est, in ipsum creditur, nec sine tractu Patris id fieri potest, etiam si, vt Iudaei plerique Christi tempore, ipsum audias summum Euangelistam (Es. LXI, 1.) aut prophetarum et apostolorum libros voluas atque reuoluas. Atque hac ratione δῶρον Θεοῦ (Eph. II, 8.) intelligitur non solum salus esse, et quam haec complectitur spiritualis εὐλογία, et aeterna haereditas, sed et ipsa fides; in primisque operanti per Euangelium Spiritui sancto id iure adsignandum, quod animus in ipsis terroribus perterrefactae conscientiae rursus consolationem concipiat.

B

Quodsi

Quodsi ad hanc doctrinae rationem eam referas, quae de origine fidei multis passim sedet, opinionem, et quam scriptis sermonibusque nostra aetate passim, modo apertius produnt modo tectius, sententiam, haud poterit supervacaneum videri, si quavis occasione veritatis diuinæ cupidi et amantes admonentur, ut fundamenta eorum quae a teneris acceperunt de hac ipsa re, certa teneant, nec a vero se abduci flectique patiantur vanis etsi saepe speciosis sermonibus.

Cogitandum ergo, cum in S. S. salus omnis ex *testimonio* de reconciliata Dei per Christum voluntate suspendatur, cui testimonio et promissioni diuinæ *credendum* sit, non probandam esse rationem eorum, qui suis ratiociniis efficere malunt, et quasi extundere ex ipsa rerum natura (v. c. diuinis perfectionibus, hominisque in peccatum prolapsi statu cet.) illa ipsa quae Euangelio propria sunt et utramque in eo faciunt paginam. Nempe non ex humani ingenii *demonstratione* sed ex simplicitate diuinæ praedicationis et testimonii fides vera nascitur, potestque vel ipsum *fidei* vocabulum illum errorem reuincere, quo significatur non rationum evidentiam sed auctoritatem ac veracitatem testimonii in hac causâ spectari atque ad hanc redire omnia: ut ne dicamus, nec illas rationum quasi carenas et nexus omne punctum ferre, si accuratius examen subeant, nec his potius quae venditantur demonstrationibus, quam disciplinae sacrae eadem accepta referri debere, unde primum hi auctores eas, quas suarum demonstrationum conclusiones dicere solent, arripuerunt, nunquam per se suo Marte reperturi arcana diuini de salute consilii.

Sunt contra alii, qui omnem iudicantes hic Euangelio eiusque claris effatis laudem relinquendam id ipsum prae se ferant, verbisque soleant magnifice ornare Euangelium, ut fontem caelestis illius et vnice salutaris Philosophiae, quam nec legalis disciplinae Mosaeicae formula comprehendat, et de qua nec Plato vnquam nec Stagirita aut alius, nisi forte aliunde quid inaudiuerit, potuisset suspicari. Quod ut dicitur verissime, ita sunt inter hos, quorum alia in parte animaduertitur error, nempe in hoc, quod sibi ipsi tales videntur, qui et ad Euangelium rite ac spiritualiter percipiendum satis apti et ad illius beneficia amplectenda satis prompti paratique sint. Hi fere erunt qui ignari aut nimium obliui congenitae illius prauitatis et *adversus* suae, nihil vel in hoc rerum diuinarum genere arduum sibi putabunt et inaccessum. Itaque mirum non est, si Deum, vel praecipientem id postulantemque, precibus submissis non adeant de impetranda cordis noua creatione ac mentis collustratione; cuius generis preces plebi et indoctae atque inficetae plebis similibus relinqui volunt, vel ignauorum saltem et nervos intendere recusantium esse crepant. Hi si vel sub ipsis feriis *metaphysicis* exercitiis didicerint, quae sit humanae mentis simul

ac

ac ad haec diuiniora accedit prauitas et ἀταξία, circumspicient forte quas in proprio fundo non deprehendunt vires, implorabunt eius, a quo et τὸ θέλειν et τὸ ἐνεργεῖν deriuandum est (Phil. II, 13.) auxilium. *Huius in luce vere videmus lucem* (Ps. XXXVI, 9.) hoc *aperiente cor* (Aët. XVI, 14.) rite *attendimus*, et sic *audientes a Patre Θεοδιδάκτοι* euadimus. (Io. VI, 45. 1 Thess. IV, 9. c.) Nec sine hac supernaturali virtute humanum *velle* nostrum, et *currere* (Rom. IX, 16.) ad salutem proficit, quo fastus ille naturalis alitur potius quam reprimatur, vt in hoc statu nunquam bona euangelii quamuis optabilia ac necessaria accipiamus serio, sed fugiamus miseri Deum et dona ferentem.

Propius a vero abesse videtur aliud quoddam genus ita de his rebus differentium, vt ipsi etiam ad Deum referre videantur eiusque ἐνεργειῶν eas humanae mentis mutationes, quas illuminationis, regenerationis et similibus nominibus cum Scriptura insignire solemus. Quodsi vero paullo diligentius in mentem horum inquiramus, sub speciosis verborum integumentis latitantem, quo intendant, haud multa magnaue opera patescit. Nec enim hi sublimius ac propius quoddam operationis diuinæ genus agnoscunt, quo per verbum vis diuina in animas nostras illabatur et insinuet, quale tamen et promittit Deus, et ab se precibus eos quoque, qui verbi luce non carent, efflagitare iubet. Omnia potius redeunt tandem apud hos auctores ad *generaliores* illum et *communem* quem dicimus *concursum Dei*, quo eadem, quae primum cuncta procreauit, omnipotentia, conseruat in singula momenta, viresque donec perdurare eadem vult sufficit. Itaque cum spiritualis ac viuæ cognitionis, cum fidei, omnis denique virtutis genuinae gloria, Deo eiusque spiritui deberi dicitur, id

B 2

qui-

(e) Hac via tutissimus ibit, qui neutrum ad scopulum adfligi velit; hinc Pseudorationalismi Pelagianismique, hinc Enthusiasmi; nempe ne Verbi diuini vsum tractationemque meris naturae viribus auxiliisque susceptum peractumque sufficere perluadeamus ideo, quia Θεοπνευσίας qualis Prophetis olim atque Apostolis contigerit expectare nunc quidem nisi Deum tentare audeat, nemo possit ac debeat. Est enim omnino medium quiddam inter ista duo; quod ab nonnullis quasi praetermitti videtur nostra aetate cum v. c. Vir quidam doctus id quod 1 Thess. IV, 9. de fidelibus confirmatur, ipsos ad φιλαδελφίαν Θεοδιδάκτες esse, ad exemplum modo trahi vult praebitum a Deo (commodene φιλαδελφίᾳ; etiam exemplum

Deo tribuitur?) et in sacris litteris propositum; quam ideo is laudat interpretationem, quod *immediatas inspirationes* Thesalonicensibus non constet obtigisse. Atqui nec Θεοπνευσία hic opus erat, nec illa commemoratio exempli vim Θεοδιδασκαλίας exhauriret. Nempe vt non inepte Theologi quidam: *Deus dat docendo et dando docet*, caeterum conf. quae ad simile argumentum disiunctiuum (quo non nemo olim contra Spenerum vsus erat) regerit B. LANGIUS *Oecon. Sal. 347.* et vid. editam ab Eodem Theologo *Vitam Speneri* p. 126. sq. atque ad vniuersum hanc causam declarandam Ipsi B. SPENERI aureolum libellum: *die allgemeine Gottesgelahrtheit.*

quidem, si hos audias, non alia fit ratione nec alio modo intelligendum est, quam prouti omnis de rebus quoque naturalibus sanum iudicium, omne rectum ratiocinium et quae alia, inest vel in corpore vel in animo, a Deo esse dicitur et ad eius gloriam redundat; idque adeo in illis qui longe extra ciuitatis Dei sanctioris pomoeria degentes, de Euangelio fideque Christo habenda ne fando quidem audierunt. (f) Itaque si in Christianis hominibus illa communia, Dei et Spiritus ipsius operam aduocari patiuntur, tamen in hoc omnem rem constituunt, ut Deum *reuelasse* olim et inter miracula prodidisse hominibus oracula sua adfentiantur nobis; quo semel facto non opus esse putant nisi lectore, auditoreque attento, et suis scilicet viribus, adfensum dictis et obsequium praestante. Nostris igitur temporibus hominibusque non ipsum Spiritum S. eiusque virtutem relinquere velle videntur, sed historiam pristinam eius operationum extraordinariam, quae, si cum aliis notis coniungantur, fidem diuinitatis codici sacro concilient. (g)

Ex quo illud etiam existit, ut quae satis frequenter de perpetuis illis Spiritus S. et salutaribus operationibus quasi solis radiis scripta exstant in sacris litteris, in suos illos sensus detorqueant; in quo interpretationis more alii etiam nimium sibi placent, quos cum istis, quorum errorem modo commemorauimus, non ideo in eandem classem referre omnes vellemus aut ὑποῦλον quid suspicari. Cautione tamen opus est, ne si haec ratio extra oleas vagetur, alia paulatim christianismo et aliena a Christi et apostolorum auctoritate facies inducatur, aut omnino pro christianismo solido et practico genuinae indolis, (qui longissime a fanaticismo distat) quasi pseudothyro Pelagianismus admittatur vel Naturalismus quidam incrustatus, et sub qualicunque Christianismi tectorio fallens.

Efflorescit quodammodo ex iis, quae haecenus disputata sunt, sua sponte *alterum*, quod supra in hac commentatiuncula nobis attingendum sumimus; nempe ut intelligatur, haec fides, qua iusti saluique reddimur, quid proprie propositum sibi habeat, quo referatur? Atque hac parte quamquam recte docetur, omni-

(f) Talia, si rem ipsam spectes, in Britannorum aevi nostri bene multorum scriptis tradi solent, etiam eorum Theologorum, qui in primariis ecclesiae et christianae religionis *εὐλαίαι* censentur. Pertinet huc libellus ex Batauorum Gallorumque linguis in nostram conuersus: *Warnung vor dem Fanaticismus*, auctore IO. STINSTRÄ Mennonitici coetus Ministro; in quo is quem supra notauimus error similesque alii reprehendi merentur, id quod adiectis solidis rationibus factum in *Baungartenia-*

nis relationibus de libris memorabilibus. (Nachrichten von merckwürdigen Büchern.) T. I. P. III. p. 264. sqq. Conf. Ven. C. G. F. WALCHII *Comp. Hist. Eccles. recentissimae* p. 228. sqq.

(g) Exstat ante annos non adeo multos in Academia Gottingensi a B. D. O. FORINO conscriptum Programma Pentecostale de Ecclesia non solum historiam Spiritus Sancti sed ipsum Spiritum S. habente; quod in hac causa contra Anglos quosdam adferenda versatur.

omnino ad omnem Christi disciplinam atque ad cuncta adeo quae siue de ipso testimonio prodita sunt, siue ab ipso legatisque ipsius tradita et praescripta, fidem referri, cum vel de illo illarum rerum momento dubitare religio sit; facile tamen his ita praecipiendis solet accidere, ut id quod in his rebus vnice salutare est, vnamque miseris consolationem adfert peccatoribus, id inquam oculis nostris quasi subducatur, fidesque, ut cum Theologo quodam loquamur, male inter legem et Euangelium diuidatur, aut omnino in legem denuo vel ab insciis et non cogitantibus Euangelium transformetur.

Nam qui fidem sic informant, ut in ea insit firma persuasio de obedientia Christo eiusque doctrinae per omnia praestanda, qui proponere ipsum solent ut melioris auctorem religionis i. e. ab apparatu oneroso rituum liberae, quod vnum fere inculcant, ut vitae magistrum qui exemplo et morte leges suas obsignauerit, et quae similia horum sunt; nae illi non vident nec intelligi forte ab aliis volunt, quomodo fides vnica illa sit ratio consequendae salutis, ad cuius spem si nihil aliud accederet, nihil solatii Euangelium attulisset, quin propter obligationem ad omne officium insigniter auctam magis etiam quam Moysis lex terrere videretur eos quos neglecti toties totiesque officii conscientia remordet et cruciat.

Teneamus ergo, quod saepe est ab euangelicis Theologis ex omni concentu consensuque Vet. et Noui inprimis Foederis propositum et declaratum, quod quidem non nisi strictim hic commemorari potest, *fidem in Christum Iesum*, id inferre, ut is ipse *agnoscatur* salutariter et ad *iustitiam* (Ef. LIII. 11.) ceu *agnus Dei tollens peccata mundi*, (Io. I. 29.) et hoc quidem, non de peccati vel obedientiae etiam natura noua quaedam aut sane illustriora adferendo, vel doctrina sua noua et maiora rationum momenta ad flectendum animum nostrum proponendo, sed utique illo modo, quem lucidissimis verbis Esaias illo capite LIII praemonstrauit, totque deinceps ipsius Domini et apostolorum effata confirmauerunt, 2 Cor. V. 21 cet. Dicitur ergo *πίστις ἐν τῷ αἵματι Χριστοῦ*, Rom. III. 25, qui sanguis (h) *adspargendus* hoc est applicandus ad conscientiam quae non nisi hoc modo *mundatur a peccatis*, ut de sanguine Filii Dei 1 Ioh. I. 7 scriptum legimus, qui non alius est quam *αἷμα ἁγνισμοῦ* Ebr. XII, 24. conf. Ebr. IX, 14. 1 Petr. I, 2. Io. VI, 54 sqq. Ap. I, 5. In sanguine autem, qui hic ut effundendus s. effusus spectatur, ipsa mors cruenta, piacularis *αἷματεκχυσία* Ebr. IX, 22. (coll. Matth. XXVI, 28.) s. vitae in mortem profusio (ut Ef. LIII, 10) intelligi debet cum omnibus aliis obedientiae Christi partibus, eius nempe obedientiae, qua effectum est, ut omnibus ipsi

B 3

obe-

(h) Dubitatum quidem est, quo illa *ἐν τῷ αἵματι* *ἐν τῷ* referenda sint, utrum ad *ἰλαστικόν*, an ad verba *ἐν τῇ πίστι*. (Vid. WOLFII *Cur. Philol.* ad h. l.) Nec tamen

argumento et causae huic decedit quidquam, siue hoc siue illud placeat, siue tandem ad remotius verbum *ἐξελθόν* referendum videatur.

obedientibus siue in ipsum credentibus sit, αἴτιος αἰωνίου σωτηρίας. Ebr. V, 9. Quod Dei in his omnibus consilium tam salutare et amabile, sicut nemo vnus mortalium per se scire atque indagando consequi potuisset, quod Euangelica reuelatione panditur et in hac ipsum caput est, ita fides haec in eo maxime spectatur, quod apprehendit promissionem Dei, quae gratis propter Christum morti datum et vitae redditum (Rom. IV, 25.) offert reconciliationem, iustitiam diuinam et salutem oppressis peccato et morte, vt Confessores nostri loqui solent.

Nec vero moramur illud quod huic euangelicae doctrinae obiectum saepe est, et magnis etiam nunc interdum obuertitur clamoribus, ea ratione officium omne perueri aut saltem minui ac refrigerari, ad vitiositatem omnem et licentiam fenestram aperiri, tardosque et ignauos reddi homines ad religionis practicae studium. Namque id sicubi euenit, profecto non doctrinae adfignandum, sed hominum vel optimis et saluberrimis rebus misere abutentium peruersitati ac vitio. Ad ipsam vero quod attinet doctrinam, ista quidem huius cauillatio pridem ab apostolis reuicta est (v. c. Rom. VI.) patrumque et nostra memoria contrarium contra Pontificios, Socinianos et personatum illum Christianum Democritum, importunissimum obrectatorem, strenue adstructum. (i)

Quo ipso ad *ultimum* vniuersae disputationis nostrae ducimur momentum, vt de huius fidei quae sola iustificat, siue quod idem est, reuelatam in Euangelio iustitiam apprehendit, et tota in hac recumbit, de huius igitur indole, vi atque ενεργεία vt nonnihil adiungamus. Nam licet arcte diligenterque illud teneant, quotquot caste integreque in hac causa cum sacris sentiunt oraculis, nihil in iustificatione a Deo nisi Christi satisfactionem promerita et ἰλασμόν spectari, quae fides sua facit, ληπτικὸς, vt loqui solemus, sese in hoc negotio habens; id tamen non dissimulari debet, aut obiter leuiterque attingi et tractari, non aliam fidem (simulacrum id verius diceret fidei) hic valere, Deoque probari, quam eam quae et in se viuua sit (1) atque actiuosa et vim suam ad omnem animi

(i) Vid. e. gr. quae solide suo more hanc in rem disputat Frider. WAGNERVS in *Democrito Autocatacrita* p. 128. 827. sqq.

(1) Cum nonnulli etiam nunc vix vllam mentionem huius quae in ipsa iustificatione agnoscenda est vitae fidei facere soleant, eam solum commemorantes quae in renouatione cernitur vitam vimque vt vocant, δοτικὴν placet his adscribere verba supra laudati B. WEISMANNI *Instit. Exegetico-*

dogmat. p. 726. vbi postquam ex *Compendio* Iaegeriano monuisset, notitiam prout ad fidem saluificam pertineat, non esse leuem et euanidam quandam cognitionem de rebus diuinis sed viuam et spiritualem, haec subiicit: „Cognitio non solum viuua dicitur — „ex effectu, cum-transit in voluntatem; sed „etiam in se ipsa, cum illuminatio etiam, per „quam cognitio istiusmodi excitatur, sit actus „vuius efficax et diuinus cet., Praecipue

autem

animi sensum interiorem ad totius tenorem vitae rectamque conformationem diffundat, sanctitatis effectrix mater ac nutrix. Ita palmaris ille iustitiae euangelicae fideique praeceps ac testis ipse fidem, praeter quam negat in Christo Iesu quidquam valere, *χαρὰν κτίζει* Gal. V, 6. ut *ἐνεργουμένην δι' ἀγάπης*, cf. Iac. II. 17 sqq.

Sed quamvis illud hac in re dubitationem non habeat, sanctitatem vitae seu nouam obedientiam non posse a fide diuelli, sed huic, si vera sit, virtutem christianam peccatique fugam adiunctam esse perpetuo; hoc tamen non aequo continuo clarum et perspicuum videtur, quomodo utraque res, fides et pietas, inter se cohaereant et coniungantur, et qui fiat ut istam vim haec fides habeat qua Christi iustitiam apprehendimus, nempe ut animo vitaeque etiam nos iustos sanctosque efficiat; cum in altero diuini promissi ac beneficii acceptatio spectetur, alterum ad praecepti obseruationem atque ad officium pertineat, quae res dissimillimae videntur suapte natura.

Quod igitur ad illam, quam modo ponebamus, quaestionem attinet, aliam alii hic ingressi sunt viam. Sunt enim, qui conatu studioque illam vtriusque rei coniunctionem declarandi omnino superfederi voluerunt, quod obscurior ipsis visa est ratio rei quam ut de ea pronunciare et certum quiddam ponere auderent. Quibus facile hoc adsentimus, et modum in hoc genere excedi posse, si quis nimis omnia rimari et tamquam ad viuum refecare velit, et vero posse aliquem qui rem ipsam teneat, fidemque veram, bonis operibus foctam, re et facto approbet, modum tamen sine salutis dispendio aut grauiori alio detrimento ignorare, quo altera res ex altera nascatur ac deriuetur.

Nec tamen adeo abstrusa et difficilis res videtur, nihil ut de ea anquiri possit aut debeat. Quod ipsum si sobrie fiat et ad scripturae ductum exemplumque, eo magis reprehensione carebit, quo facilius, cognita vera ratione, errores ac deuia cauebuntur, in quae vel per imprudentiam nonnulli hac parte inciderunt. (m) Quale illud est, cum ipsa fidei notio non sine periculo mutatur, in eamque infertur id, quod ex fide repetendum est, et in litteris diuinis ex eadem deducitur.

Est autem omnino caput ad intelligendam rei rationem, si recordemur, *fide* ut L. L. symb. loquuntur, *accipi Spiritum sanctum*. Enimuero hic ubi est, otiosus haud

autem commendari hanc in rem meretur scriptum vernaculum B. Pauli ANTONII (quod ille quidem sub *Sinceri Euangelici* nomine edidit sub finem saeculi superioris vom wahren, lebendigen, thätigen Glauben, quod etiam in *Syntagma Disferr. Anton. Maieriano* adpendicis loco recusum exstat. p. 153. sqq.) in quo inter alia Lipsiensis

Theologus meritisimus ut *ἀπολόγητος* excitatur Henr. HÖFFNERVS in Tr. egregio de *Iustificatione*. (Vid. *Syntagm. Disferr. Anton. Append. II. p. 169. sqq.*)

(m) Conferri hic meretur Ven. D. ERNESTI Diss. de *Arbitrio diuino in religione constituenda* P. III. p. 101. sqq.

haud est, sed *sanctificatorem* (quod ipsum cognomine illo *sancti* innui creditur) se praestat, emundans et sua virtute replens corda fidelium quae quasi totidem domicilia et officinas totidem occupat. Hic viatoribus quales se sancti ac fideles cuncti profitentur per hanc mundi eremum ad caelestem patriam tendentibus dux et hodegus est, non praemonstrans modo qua eundum, verum etiam ad calcandam et prosequendam illam asperam saepe viam, qua ad caelum itur, cum voluntatem ipsis promptam tribuens, tum facultatem ac vires. Hoc quotquot *agi* regique *se patiuntur Dei Spiritu*, (Rom. VIII. 14.) *hi Dei filii sunt*, id quod et contrario valet modo hoc, ut quotquot ius filiorum Dei nati sunt (quod fide fit, qua Christus recipitur Io. I. 12.) hi ad vnum omnes rectorem illum sanctificum Spiritum accipiant admittantque. Sic *fructus iustitiae*, quo abundare Paulus optat fideles, existunt *per Iesum Christum*, Phil. I, II. quod quid est aliud, quam fide in ipsum, qua *corda munda* et fiunt et seruantur (Aët. XV, 9.), ut sanctus ille incola, Spiritus Domini, ea ne fugiat auerfeturque, sed donis suis repleat.

Nec vero *ἀνέστος* eaque vi cui resisti nequeat, sed eo potius Spiritus Dei ista efficit modo, qui sit cum naturae hominum conueniens, (quae rationis ac libertatis particeps est, nec per istum impulsu motumque eueritur et pesum datur) tum ipsius sapientiae bonitatisque consentaneus. Verbo enim diuino hoc in negotio ipsum constat uti tamquam instrumento s. medio; partim quidem legis etiam stimulis seuerisque minis propter reliquias prauitatis congenitae in ipsis illis quos incolit magis magisque, (cum sint per omnem vitam superstitis) eneruandas, ne pristinum illa quod adfectat, denuo obtineat imperium, fidesque hoc modo et Spiritus diuini gratia misere excutatur; partim vero etiam et quam maxime quidem Euangelio, quam *legem fidei* Paulus vocat; ex hac Euangelii doctrina tamquam *sincero lacte* quodam et *κρυζῶν*, gustu sensuque benignitatis Domini eos afficit et reficit, 1 Petr. II, 2. 3. *amorem Dei in cordibus diffundit* renatorum, *quibus datus est*; h. e. sensum illius aeterni in nos, amoris, quem ut ipse sententiam explicat Paulus hoc in primis specimine toti mundo commendauit, quod pro hostibus redimendis filium mortis supplicio dederit ei que haud pepercerit. Rom. V. 5. sqq. VIII. 32. Inde autem porro velut prono alueo fluit (quod Ioannea etiam innuit sententia 1 Ioh. IV. 19.) ut qui hoc modo Dei amorem quo prior immerentes complexus est viua fide agnoscant, non possint non eum vicissim amore prosequi; qui amor quamuis perfectus et ab omni vicio purus non sit, verus tamen et sincerus est, nec in labris supremis et lingua natat, sed ipso obsequio studioque Deo et Seruatori in omnibus placendi approbatur.

Ac licet omnino interfit inter hanc, quam amor praestat, promptam obsequendi voluntatem, atque ipsam obedientiam eiusque facultatem, cum in humanis etiam vel optima voluntas viribus interdum destituatur: attamen nec vires desesse possunt, quoad fidem a se productam sustentat Spiritus S. hanc inquam fidem, qua Domino Iesu adhaerescimus (1 Cor. VI. 17.) et qua cum ipso ceu vera vite veluti palmites coalescimus, vitalem eius succum participant. *Fide Christus in cordibus habitat* Eph. III. 17. in quo iustitiam qui credunt et spirituale robur habent. Sic τὸ ἐν καινότητι ζωῆς περιπατεῖν (Rom. VI. 4.) iam non in officio modo commemoratur, sed ut nonnulli ad illum ipsum locum admonuerunt (n) facultas ad eam rem tributa atque ex communione cum resurrectione et vita Christi deriuanda innuitur, maximi beneficii loco ac numero habenda. Cf. 2 Petr. I. 3. 4. sqq.

Sed hac ipsa in causa quam pluribus declarare et confirmare nihil attinet, quamque LUTHERVS noster in *praefatione in epist. ad Romanos* egregie adstruxit, sit facile, ut vel aliis vel sibi saltem perperam nonnulli interpretentur, quod est de fidei virtutisque arctissima coniunctione dictum, cum putant, quidquid sanctimoniae virtutisque et officii nomine comprehendatur, statim cum ipsis fidei initiis infundi ac velut illabi animis, quo fit ut vix studio vlllo diligentiaeque contentione existiment opus esse ad officium vel intelligendum vel praestandum faciendumque; quod longe abest a LUTHERI et cordatioris cuiusque theologi sententia, ab ipsaque codicis sacri auctoritate abhorret. Quid enim volunt sibi illae toties recurrentes cohortationes de exploranda sedulo Dei voluntate, de persequenda sanctimonia et perficienda, aut illa quid denunciant ad preces, ad vigilantiam, ad militiae sacrae officium strenue faciendum velut celeusmata diuina. Egregie et eleganter plura hanc in rem disputat D. Martinus CHEMNITIVS *Part. I. locor. Theol. Loco de Libero Arbitrio c. VII.* „Renouatio, ait, habet sua initia, suos progressus, et in magna infirmitate per-
„ scitur. — — Quando — prima initia fidei et conuersionis homini
„ dantur, statim incipit lucta carnis et spiritus; et manifestum est, illam non
„ fieri sine motu voluntatis nostrae. — Crescunt autem in nobis non sicut trun-
„ cus violento impulsu prouehitur, nec sic ut lilia non laborantia, non curantia
„ crescunt, sed conando, luctando, quaerendo, petendo, pulsando. „ Quem
locum Chemnitianum merito alii Theologi nostrates in hoc argumento versa-
ti subinde excitarunt suoque calculo approbarunt, ut Io. MVSÆVS in *der Aus-
fürlichen Erklärung der Ienischen Theol.* p. 385 sqq. vbi et geminum huic alium
eiusdem CHEMNITII locum adscribit ex *Exam. Concil. Trident. p. 1. de lib.
arb.* itemque HUTTERI hanc in rem verba. cet. Conf. *Form. Concord. Sol.
declar. Art. II. et III.* et ex nostrae huius aetatis Theologis, S. Ven. D. I. A.

C

ERNE-

(n) Vtrumque saltem illud *ita — περι-
πατεῖν* notare potest, et quod LUTHE-
RVS in vers. intellexit, *officium*, et quod
alii *facultatem*, *vires*, *ἀξίωμα*.

ERNESTI *Vindictas* supra iam laudatas *arbitrii diuini in religione constituenda* Disf. III. §. 80 sqq.

Elucet simul, a vero eos quoque abesse, qui praeterita fide qualem supra descripsimus eiusque effectore Spiritu S. omnem christianam virtutem, quatenus a naturali et philosophica distet ex eo aestimari volunt, atque eo obtineri, si quis argumentis iis utatur rationumque momentis (*motiuis*, ut recentior consuetudo appellat) quae ex Euangelio desumpta sint, fortioraque utique illis quae natura possit et ratio adferre. His illud facile conceditur, inesse omnino huius generis fortissima ad virtutis studium incitamenta in glorioso Dei beatissimi Euangelio, (1 Tim. I. 11.) Sed in hoc a multis erratur vehementer, quod se aut quosuis Euangelii lectores auditoresque eos vel iam esse putent vel mediocri falcem proprii ingenii et naturae solius conatu fieri posse, qui his tantis tam optabilibus rebus quas Euangelium pandit, rite ac serio vel possint uti vel velint adeo, easdemque ad vitiorum iugum excutiendum et ad omnem virtutis laudem studiosius persequendam conuertere. Nec enim languidus ille assensus quem potest *ψυχὴς ἀνθρώπου* praebere his doctrinis, ignauumque et euanidum quod concipit fortasse desiderium ad id efficiendum valebit quod est negotium vnum omnium maxime difficile, ut nos ipsi vincamus, et illam deteriora sequendi, etiam cum meliora videmus, prauam lubidinem. Istas quidem res, quae plane oculos sensusque fugiunt, nec rationis euidencia lucent, soli fideles et *πνευματικοί* et vere credunt diuina (h. e. a Deo effecta) fide, et soli his rebus ad studium tanto Euergetae obsequia gratumque animum probandi inflammandum uti norunt. Quidquid solis naturae auxiliis vel ex naturali quodam usu Euangelici testimonii procuditur quasi atque exprimitur, legitima indole et spiritali destitutum est, non est *ἀργαὶν ἐν καρδίᾳ καὶ πίστις ἀνθρώπου*. 1 Tim. I. 4.

Sunt praeterea quidam nostro inprimis tempore, qui ne solam naturam et proprium cuiusque studium sufficiens habere videantur, *enthusiasmum* quenquam (quo vocabulo in meliorem illi partem vtuntur) accedere omnino debere dictitant, si quid religio valere debeat et ad virtutis excellentiam si adspirare quisquam velit. (o) Hoc nimirum mentem inflammandam roborandamque esse ad arduum, tot impedimentis asperum virtutis tramitem ineundum et constanter persequendum. Hi si idem quod antiquo et biblico dicendi more nos gratiam et auxilium Spiritus Sancti, fidem et amorem ac sanctimoniam per verbum operantis vocamus intelligunt, poterant ista nouitate sermonis, quae ambiguitate

(o) Vide *Progr. pentecost.* quod Buerzoni anno superiori prodiit, de operationibus Spiritus sancti ab *Enthusiasmo* secundum ec-

clesiae Evangelicae decreta caute et sollicite discernendis, p. 14.

tate non caret rectius abstinere; fit enim facile, ut cum his vocabulis usu scripturae et ciuitatis Christi vetusto veluti consecratis rem ipsam paulatim amittamus ipsaque doctrina ex nimio studio nouaturientis saeculi genio nos accommodandi aliquid detrimenti capiat, et tamquam obsoletum quiddam aut nimis vulgare in contemptum veniat et obliuionem. (p) Veremur autem ne si accuratius instituat examē, ipsique auctores hi verum animi sensum aperire et exprimere vellent, nihil aliud nihilque amplius ipsi hac enthusiasmi quem commendant formula et similibus intelligant quam quod profanus olim ille orator Romanus adiunctum magno cuique viro pronuncians fuisse adflatum quendam diuinum; prout in pontificio quodam scriptore Pelagianum in morem de his rebus disputante pluribus idem notat CHEMNITIVS noster *Exam. Conc. Trident. loco de libero Arb. p. 213. edit. Francof. 8.* Hos nimirum si ex simulationis integumentis se patiantur euolui, aut errorem fateri suum voluerint, haud secus ac poetam illum notissimum sentire appareret, ab Ioue suo numos et opes quidem caeteraque quae fortunae bona dici solent petenti, caeterum *animum* hoc est virtutem *sibi facile ipsi paraturo*; quam in sententiam plura idem cuius paullo ante mentionem inferebamus disputat Cicero de *Nat. Deor. l. III. 36.* sapientiae et virtutis donum a nobis non a Deo nos habere fidenter et tamquam ex communi generis humani sensu certum pronuncians, negansque virtutem Deo acceptam retulisse quemquam, aut vquam Diis, quod vir bonus esset, egisse gratias.

Plura addere temporis rationibus, ipsoque qui non excedi debet scribendi modo vetamur. Vos, Ciues Optimi, cum aliunde iam non heri demum aut nudius tertius edocti de officio hac in parte vestro, tum de eodem admoniti etiam nunc isthoc libello publice conscripto, date operam ne deesse illi, hoc est Vestrae ipsorum saluti summaeque felicitati videamini. Itaque quae de salutaribus Spiritus S. operationibus, de fide eiusque ortu, indole ac virtute aliisque quae cum his coniuncta sunt capitibus disciplinae christianae, vel a teneris tradita sunt, nolite propterea cogitatione Vestra Vestroque studio non satis digna habere, sed quo excellentiora ea ipsa sunt suapte natura et quo minus illis carere potest quisquam mortalium, hoc magis ea, cum per hos quoque dies eadem, quamquam non inter miracula, enarrabuntur *μεγαλῆα τῶ Θεῷ* (Act. II. 11.) reuocate ad animum, nec ad scientiam modo referte quae parum prod-

C 2

est

(p) Qua de re prudens B. Mart. CHEMNITII monitum conferendum omnino est, quod legitur in praefamine de usu et utilitate locorum theologicorum p. 16. Talem mutationem ait ille plerumque vel

errores parere vel dissidia, cum plerique piscatoriam Spiritus S. simplicitatem naufragantes sub integumento ornatus et elegantiae alicuius *κακοφωνίας* introducant.

est si foliuga propositique sanctioris expertus ac ieiuna fuerit, verum etiam ad conscientiam ita reuocate, ut in se quisque descendat, qui forte domi suae quod miserum alias creditur, hospes adhuc fuerit, ut serio de se et ex vero statuatur, donane Spiritus diuini communia illa et perpetua, ut fidem, amorem, spem, pacem et gaudium acceperit, an adhuc quidem repudiauert? In hoc enim qui fallitur, nec de errore sibi suspectus est, aut si forte interdum sit, illum sibi eripi non vult, hic vere toto caelo aberrare dicendus est. Qui enim Christi spiritum non habet, hic Christi non est, Rom. VIII. caeli proinde regnique Dei haudquaquam particeps futurus.

Nec vero molesta cuiquam Spiritus S. disciplina videri debet, de qua valeat quod de iugo suo Dominus onereque praedicat, suauis illud hoc leue esse, sub quo refocillari adeo et requiescere contingat his qui suscipiunt et patienter ferunt. Illa sane tam salubris spiritus sapientiae disciplina cum nulla aetas hominum carere potest, tum minime vestra Ciues, siquidem in hoc lubrico iuventutis labi et alicubi adhaerescere facillimum est. Itaque hunc Vobis ducem deligite, nec vnquam ab ipsius auctoritate vel transuersum vnguem discedite!

O quam praestabilia ipso usu sensuque deprehenderis caelestia haec munera ac diuina, quibus exornat ille alumnos et contubernales sapientiae, eius inquam sapientiae, quae e caelo est et ad caelum tendit ducitque. Haec a veneno voluptatis, a fallaci spe et orbis huiusce auctoramentis ad meliora et certiora et Vobiscum perennatura vocans, tutos Vos praestabit ab innumeris summisque periculis et malis.

Vos modo, quibus haec parta sunt, quibus offeruntur diuinitus, caute, ne in vestra ipsorum commoda peccetis, dum spreto Euangelii praeconio nec fidem in Iesum Christum, quae vna nunc peccatoribus ad Deum redituris patet via, concipitis, sed ut de popularibus suis olim protomartyr querebatur Stephanus, Spiritui sancti resistitis. Act. VII. 51. Quod absit a Vobis per omnem modum!

Agite ergo, sacros hos festosque dies quam optime locandos esse statuere, et quae ad hunc finem faciunt, diligenter etiam atque etiam obseruare! Ita vos Deus amabit, cumulateque quae promisit, in

Vos conferet.

P. P. in reg. Frider. d. xxv Mai. c1010cclxv.



